



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

34 & 35. De purgatione canonica & vulgari

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

TITULUS XXXIV,
& XXXV.

De Purgatione Canonica, & Vulgari.

Q. 1. *Quid sit Purgatio Canonica, & quando fiat?* *Resp.* Ne quis de crimine vel excessu de quibus hactenus, condemnetur innocens, agitur hic de *Purgatione*, quæ est ostensio innocentie de objecto crimine; si est ostensio innocentie respectu objecto crimine secundum præscriptum Canonum, dicitur *Purgatio Canonica*; si est ostensio innocentie, vel probatio criminis in superstitiosa observatione, vulgi moribus inducta, dicitur *Purgatio Vulgaris*, quæ prohibita est, & de quâ postea.

Resp. 2. Olim fiebat purgatio Canonica vel per iudicium S. Crucis, vel per iuramentum tum ab Accusatore, quàm à Reo præstitura ad Sepulchra vel Reliquias Sanctorum. *can. 6. 7. 8. 10. 2. q. 5.* vel per susceptionem Eucharistie, vel Missæ celebrationem. *can. 25. & fin. caus. 6. q. 1.* Hodie dum iustis de causis modi illi se purgandi sublatis sunt, observatur forma *c. 5. b. 1. vi. cap. 1.* accusatus, *aliàs honesta vita*, aut publicè diffamatus de crimine, cuius convinci nequit, & quæ tamen aliter dilui non potest, tactis Ss. Evangelii jurare debet de innocentia suâ, etiamsi Episcopus esset. 2. Debet adhibere *compurgatores*, pro qualitate personæ, vel criminis exigit, plures autem par-

pauciores, qui juramentum credulitatis de innocentia rei deponant. 3. Juramentum utrumque alius, quam iudex competens, qui judicare aliàs de crimine posset, nequit exigere. *c. 6. 10. 15. h. t. &c.* Vid. Schmalzgr. à n. 9. h. t.

Q. 2. Quis sit effectus Purgationis Canonica?

Resp. 1. Si debite & legitime sit facta, absolvendus est ita se purgans non tantum ad suspensionem ab officio & beneficio, sin illa ob crimen objectum, vel scandalum ab initio fuit inflicta, sed etiam ab ipso crimine objecto; & infamia ex crimine objecto proveniens hoc ipso tollitur: ac ordinariè accusatus semel de crimine factâ desuper legitimâ purgatione de eodem denuò nequit accusari. *Leur. h. t. Q. 467. & 468.*

Resp. 2. Si verò diffamatus deficiat (quod potest variè contingere,) habetur pro convicto, potèstque iudex secundum multos etiam pœnam ordinariam tali Reo infligere. *Schmalzgr. n. 40.*

Q. 3. Quid de Purgatione Vulgari dicendum?

Resp. 1. Definitio data est *h. tit. n. 1.* Fieri solebat vel per ignem, vel aquam ferventem, vel frigidam, vel per monomachiam. 2. Quatuor illi modi se purgandi sunt certò tum de jure naturali, tum positivo illiciti; quia præter gentilitatis ritus continent Dei tentationem. 3. Ex eadem ratione illi actus illiciti sunt, in quibus miraculosa divinæ virtutis operatio expectatur. 4. Nec cruentatio cadaveris sufficiens probatio est, occisum esse hominem ab eo, ad cujus præsentiam sanguis profluit, cum id potius casui sit,

tri-

tribuendum. 5. Licet cautè sit procedendum, & res sit periculosa, videtur tamen provocatio ad divinum tribunal debito modo & sine facta licere. Patet *Gen. 16. 1. Reg. 24.* ratio, quia per talem provocationem debitè factam appellatur ad iudicem superiorem. 6. Id postremò hic notandum, quòd sententia ex purgatione vulgari lata post fatalia appellationis possit retractari. *c. 8. de purg. Can. c. 6. de except. tot. tit. C. de fals. instrum. L. 4. C. de sent. & interloc.*

TITULUS XXXVI.

De injuriis & damno dato.

Quid sit injuria & quotuplex? *Resp. 1.* Injuria, quacum subinde fiunt delicta, vel sumitur *generaliter* pro omni eo, quod contra alium non fit justè, vel *specialiter*, & est delictum quo alterius honor aut existimatio dolo malo laeditur. Unde si dolus, sive animus injuriandi absit, injuria non committitur, v. g. si quis in colloquio verbum quodpiam ad alterius injuriam pertinens inconsideratè profert, vel si quis vi status sui quid injuriosum dicat aut faciat v. g. præceptor respectu discipuli, cessabit actio injuriarum. *f. 1. 1. Inj. h. t. L. 3. ff. 1. & 3. ff. eod.* Cæterum in dubio animus injuriandi præsumitur ex verbis aut factis. *L. 5. C. h. t.*

Resp. 2. Injuria alia est *verbalis*, quando alius vel præsentis vel absentis convitium fit, sive falsum sit